Quelle: http://manuscripta.at/?ID=376
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



142

GVM·

faciens faciam misericordiam cum filio Ionathan patre tuo. Et restituam tibi omnes agros Saul patris tui. Tu quoque comedes panem in mensa mea semper. Qui adorans eum dixit: Quis ego sum servus tuus quia respexisti super canem mortuum similem mei? Vocavit itaque rex Siba puerum Saul et dixit ei: Omnia quaecumque fuerunt Saul et universam domum eius dedi filio domini tui. Operare igitur ei terram tu et filii tui et servi tui. Inferes cibos filio domini tui ut alatur. Myphibosethe autem filius domini tui comedet semper panem super mensam meam. Erat autem ei filii XV et XX servi. Dixitque Siba ad regem: Iuxta quae mandasti domine mi rex servo tuo sic faciet servus tuus. Et Myphibosethe comedit super mensam tuam quasi unus de filiis regis. Habebat autem Myphibosethe filium parvulum nomine Mycha. Omnis cognatio domus Siba serviebat Myphibosethe. Porro Myphibosethe habitabat in Hierusalem quia de mensa regis indigenter nutrebatur. Erat claudus utroque pede.

X. Factum autem est post haec ut moreretur Naas rex filiorum Ammon et regnaret Amon filius eius pro eo. Dixitque David faciam cum Amon filio Naas sicut fecit pater eius mecum. Misit ergo David consolans eum per servos suos super patre mortuo. Cum autem venissent servi David in terram filiorum Ammon dixerunt principes filiorum Ammon ad dominum suum: Putas quod propter honorem patris tui David miserit ad te consolatores? Non ideo ut inquisitores te et explorare et evertere eam misit David servos suos ad te. Tulit itaque Amon servos David et rasit dimidiam partem barbae eorum et praecidit vestes eorum medias usque ad nates et dimisit eos. Quod cum nuntiatum esset David misit in occursum eorum. Erant enim viri confusi turpiter valde. Et mandavit eis David dicens: Manete in Hiericho donec crescat barba vestra et tunc revertimini. Videntes autem filii Ammon quia in iniuriam fecissent David miserunt et conduxerunt mercede Syrum Roob et Syrum Soba XX milia peditum et a rege Maacha mille viros et a Istob XII milia virorum. Quod cum audisset David misit Ioab et omnem exercitum bellatorum. Egressi sunt ergo filii Ammon et direxerunt aciem ante portam civitatis. Syrus autem Soba et Roob et Istob et Maacha seorsum erant in campo. Videns igitur Ioab quod paratum esset adversum se bellum ex adverso et post tergum electos iecit et instruxit aciem contra Syrum. Reliquam autem partem populi tradidit Abisai fratri suo. Qui direxit aciem contra Ammon. Et ait Ioab: Si praevalebunt adversum me Syri eris mihi in adiutorium. Si autem filii Ammon praevalebunt adversum te auxiliabor tibi. Esto vir fortis et pugnemus pro populo nostro et pro civitate dei nostri. Dominus autem faciet quod bonum est in aspectu suo. Iniit itaque Ioab et populus eius qui erat cum eo certamen contra Syros. Qui statim fugerunt a facie eius. Filii autem Ammon videntes quia fugissent Syri fugerunt et ipsi a facie Abisai et ingressi sunt civitatem. Reversus quoque est Ioab a filiis Ammon et venit in Hierusalem. Videntes igitur Syri quia corruissent coram Israel congregati sunt pariter. Misitque Adadezer et eduxit Syros qui erant trans fluvium et adduxit exercitum eorum. Sobach autem magister militiae Adadezer erat princeps eorum. Quod cum nuntiatum esset David congregavit omnem Israel et transivit Iordanem.

Ammon